

ff. *de Jure fisci*. Dummodo hinc excipiantur causæ criminales, præsertim capitales, ut bene ibidem subjungitur.

252. *Privilegium istud extenditur ad ecclesias, hospitalia, aliaque loca pia: item ad causam matrimonialem, causam dotium, alimentorum, legatorum priorum, etc.* — Et hoc fisco concessum extenditur etiam ad ecclesias, hospitalia, atque alia loca pia: quia fiscus, et Ecclesia, in materia favorabili æquiparantur, cum utrobique versetur publica utilitas. Idem quoque communiter a doctoribus extenditur ad causam matrimonialem, utpote ubi multa sunt specialia, cum in ea vertatur periculum animarum. Id ipsum admittunt doctores in causa dotium, alimentorum, legatorum priorum, et in aliis causis favorabilibus; saltem ubi non adest alia copia probandi, nisi per instrumenta a reo exhibita. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Videndum restat*. n. 17. asserens quod magna causa debeat judicem movere ad cogendum aliquem instrumenta sua adversario exhibere, arg. 1. *In hac actione. Interdum æquitas*. ff. *Ad exhibendum*, cum similibus: ubi Joan. Andreas in *Additione*. vers. « Satis est, » istud exemplificat in causa matrimoniali: « Si enim (inquit) favore fisci cogatur quis edere instrumenta, fortius hoc fieri debet favore matrimonii, in quo multa sunt favorabilia, et subest periculum animarum. » Concordat Abbas cap. 1. n. 19. et 20 *de Probatione*. præmissa intelligens, quando non adest alia copia probandi: alioquin enim non subesset bona causa violandi regulas juris. Felinus eod. cap. 1. n. 10, et seqq. *de Probat.*; Pirhing *de Probat.* n. 26. et alii.

253. *Usurarii, quando conveniuntur ad restituendas usuras, coguntur edere libros rationum suarum.* — Deinde usurarii, quando conveniuntur ad restituendas usuras, coguntur edere instrumenta, libros rationum suarum, et quidem sub censuris ecclesiasticis, Clem. un. § *Cæterum. de Usuris*. Idque merito statutum fuit, tum in odium usurariæ pravitate: tum ut hac ratione feneratorum convinci possint de usuraria pravitate sua; prout loquitur textus ibidem.

254. *Quando actor habet intentionem suam in jure fundatam, tenetur reus conventus edere privilegium in oppositum.* — Fallit ulterius dicta regula, quando actor habet intentionem suam in jure fundatam: quia tunc tenetur reus conventus edere instrumentum, vel privilegium in oppositum. Sic quando ordinarii

locorum citant personas quæ se dicunt ab eorum jurisdictione exemptas, tenentur hæc exhibere suum privilegium, c. *Cum personas, de Privileg.* in 6. et 1. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judiciis*.

255. *Idemque dicendum, quando actor petit instrumentum ad intentionem suam jam fundatam coadjuvandam: idque exemplificatur.* — Insuper ea fallit, quando actor petit instrumentum ad intentionem suam jam fundatam coadjuvandam: quia tunc tenetur id reus edere. Sic quando actor fundavit intentionem suam, seu plene probavit agrum talem a reo sibi fuisse venditum, nunc vero remanet quæstio, quantum ager ille extendatur, tenetur reus ad hoc ostendendum edere sua instrumenta: quia non petuntur principaliter ad impugnandum reum, sed solum ad coadjuvandam intentionem actoris jam fundatam. Abbas loc. cit. n. 15, post Bartolum l. 1. c. *de Edendo*; Pirhing, ubi supra, n. 25, citans Baldum in l. ult. c. *de Edendo*. qui istud exemplificat in colono censuali, vel vassallo: talis enim tenetur edere sua instrumenta ad dignoscendum modum suæ obligationis, et qui sint limites fundi censualis, seu feudalis. Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud memoratos auctores videndæ; nam præmissæ sunt principales. (ADNOTATIO VII.)

§ IX.

DE IMPUGNATIONE INSTRUMENTORUM, PRÆSERTIM OB DEFECTUM NOTARII.

256. *Instrumenta generatim possunt impugnari juxta omnia quatuor causarum genera.* — Quæritur I. Quibus modis generatim instrumenta impugnari, et reprobari possint? Resp. I. Instrumenta, generatim loquendo, possunt impugnari juxta omnia quatuor causarum genera. Ex parte quidem causæ efficientis, quando est factum ab eo, qui non erat habilis: ut puta, quia non erat notarius publicus, vel fuerat excommunicatus, etc. Ex parte causæ materialis, opponendo videlicet quod sit factum super re illicita, vel a jure non permissa. Ex parte causæ formalis, quando non sunt observatæ solemnitates a jure requisitæ: v. g. si fuerit ommissa indictio, annus, testes, subscriptio, vel quid aliud ad ejus substantiam requisitum, de quibus supra § 1. n. 17. et seqq. Ex parte causæ finalis, si opinatur instrumentum, vel privilegium esse ob, vel subreptitæ obtentum, narrando falsa,

vel tacendo vera de jure exprimenda; de quorum postremo jam ex professo dictum est lib. I. tit. III. *de Rescriptis*. § 7. et seqq. ubi etiam plura habentur « de erroribus et rasura rescriptorum, » quæ servata proportionem huc applicari poterunt.

257. *Impugnaturus instrumentum, ante omnia diligenter, perlegat totum ejus tenorem.* — Resp. II. Impugnaturus quodpiam instrumentum, vel quæcumque scripturam, ante omnia diligenter videat, et perlegat totum ejus tenorem: alias enim nec redargui possunt, nec valet resciri quid redargui in eisdem debeat. Textus est in c. *Accepimus*. 4. h. t. ibi: « Cum privilegia non inspecta non valeant argui falsitatis: » junctis concordantiis per Glossam ibid. vers. « Non valeant, » allegatis.

258. *Beneque perpendat, quis, v. g. contraxit, etc., rite ponderando omnes circumstantias.* — Resp. III. Perlegens instrumentum, bene perpendat, quis v. g. contraxerit, vel stipulatus sit; quid, et cui, et quantum, et an sit talis, qui hoc potuerit; atque omnes alias hujusmodi conditiones, seu circumstantias rite ponderet; Speculator tit. *de Instrumentorum editione* § *Instrumentum ergo publicum*. n. 1. et alii. De quibus tamen, cum in propriis locis agi consueverit, atque hactenus plura jam dicta fuerint, eisdem pro nunc suppositis, specialiores quædam quæstiones circa causam efficientem instrumentorum, seu circa personam notarii, impræsentiarum occurrunt resolvendæ. Unde:

259. *Instrumentum a notario confectum an valeat extra territorium ejus, a quo constitutus fuit?* — Quæritur II. Utrum instrumentum publicum confectum a notario valeat extra territorium ejus, a quo constitutus fuit? Ubi præsupponendum conformiter dictis, § 1. n. 27. quod inter alia ad validitatem publici instrumenti requiratur ut notarius illud conficiens, legitime sit creatus; id est, ab habente potestatem constitutus fuerit publicus notarius.

260. *Notarius conficiens instrumentum publicum debet legitime esse creatus.* — Porro hujusmodi potestatem creandi publicos notarios, cumprimis habet Papa, imperator, rex, et alius princeps superiorem non recognoscens, sicut et civitates exercentes jura principis. Abbas c. *Cum P.* n. 7 et 8. h. t. asserens, de hoc non esse dubium. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Restat videre*. n. 22. id probans ex cit. c. *Cum P.* h. t.

et c. *Per venerabilem*. « Qui filii sint legitim. » Deinde dicta potestas competit illis, quibus a supremo principe concessum est speciale privilegium creandi notarios: vel qui per immemorabilem consuetudinem tale jus legitime præscripserunt, arg. l. ult. c. *de Emancipat.* et c. *Cum dilectus*. 9. h. t. et c. *Accedentibus*. 12. § fin. *de Excessib. prælat.* ac notat Speculator, et Abbas ubi supra; Pirhing h. t. n. 8, citans alios. Quin etiam episcopi possunt creare notarios pro sua diocesi. Card. Tuschus litt. E. concl. 290. n. 1, post Oldradum, consil. 75. et litt. N. consil. 70, n. 5. et 6. Abbas c. *Cum P.* n. 8. h. t.; Belletus *Disquisit. cleric.* p. 1. tit. 1. § 29, n. 10. et alii ab is citati. (ADNOTATIO VIII.) Quo prænotato:

261. *Instrumentum publicum confectum a notario intra territorium constituentis, valet etiam extra territorium ejus.* — Resp. I. Instrumentum publicum confectum a notario intra territorium constituentis, valet, facitque fidem etiam extra territorium ejus; adeoque ex hoc capite non recte impugnatur. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 9, h. t. et Felinus ibid. n. 16. citans Rotam in *Formis*, decis. 291. incip. *Instrumenta confecta*, et plurimos alios. Ac sequitur Pirhing eod. n. 10 citans alios. Ratio est, quia circa valorem instrumenti inspicitur locus ubi instrumentum scriptum est, arg. 1. l. c. *de Emancipat.* ac notat Abbas loc. cit. istud amplians, etiamsi notarius intra territorium constituentis, fecisset instrumentum rogatus ab extraneis: quia tale instrumentum jam acceperat fidem publicam in loco constituentis talem notarium, et quidem a jure communi: atqui vis probandi semel acquisita, non tollitur mutatione loci; ergo. Concordat dicta superius § 5. n. 153. et 154. ubi pluribus ostenditur quod instrumentum factum secundum consuetudinem loci, probet ubique etiam quoad extraneos.

262. *Notarius a Papa, vel imperatore creatus, quæ instrumenta spectato jure communi conficere possit?* — Resp. II. Spectato jure communi notarius creatus a Papa potest quidem instrumenta conficere in terris Ecclesiæ subjectis, ac etiam alibi quoad causas ecclesiasticas, non tamen in terris imperii, respectu causarum profanarum: sicut et notarius creatus ab imperatore nequit extra terras imperii, vel super causis ecclesiasticis instrumenta conficere. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 9. et Felinus ibid. n. 17. h. t. Joan.

Andrees c. *Sicut te*. n. 3. et Abbas ibid. n. 12. *Ne Clerici vel monachi*, etc.; Speculator cit. § *Restat videre*, n. 27. et seqq.; Pirhing. h. t., n. 11, quamvis oppositum esse de jure verius, censeat card. Tuschus litt. N. concl. 72, n. 1 et 3. allegans alios. Ratio conclusionis est, quia, ut argumentatur Joan. Andreas cit., n. 3, duo operantur, quod credatur publico instrumento, nempe præstatio juramenti per notarium facta, c. *Ad audientiam*. 13. § *Nos igitur de Præscript.* et auctoritas judicialis, a qua notarius talem recipit potestatem, « Aut. de Tabellionibus. » § 1, collat. 4. Atqui hoc posterius deficit in notario, qui conficit instrumentum extra territorium constituentis. Accedit, quod notarius non exerceat jurisdictionem, quæ possit prorogari extra territorium de consensu partium: habet enim duntaxat officium in republica; unde et « servus publicus » appellatur, l. II. § *Rem pupilli salvam fore*. et cap. II. de *Urbis*. in 6. juncta Glossa ibid. vers. *Servo publico*. Atqui hujusmodi officium non extenditur extra territorium constituentis, arg. l. *Præf.* ff. de *Offic. Præsid.* cum similibus. Tandem dictum testis, auctoritate judicis laici in causa ecclesiastica recepti, fidem non facit in foro Ecclesiæ, c. *At si clerici*. 4. de *Judiciis*, ergo nec probat instrumentum super causa ecclesiastica factum per notarium laicum: valet enim argumentum a teste ad notarium, et e contra, juxta dicenda n. 266.

263. *De consuetudine, si notarius imperialis conficiat instrumentum in terris Ecclesiæ, probat; et e contra.* — Additur notanter in conclusione, « spectato jure communi. » Nam, quod secus accidere possit de consuetudine, et per tacitum consensum supremorum principum, ultro faciendum est. Et hoc modo videtur intelligendus card. Tuschus cit. concl. 72. et Mascardus de *Probat.* concl. 928. n. 19. cum pluribus aliis asserentes, quod si notarius imperialis conficiat instrumentum in terris Ecclesiæ, probet, et e contra; uti censuit Rota decis. 5. alias 291. de *Fide instrument. in novis*: quia (subjungit Mascardus n. 21.) ita tenuit inveterata consuetudo; et communis observantia.

264. *Clericus in sacris est prohibitum, officium notariatus exercere in causis profanis; non tamen redditur instrumentum invalidum, si secus attentetur.* — Nec obstat, quod clericis in sacris ordinibus constitutis, sub pœna privationis beneficii prohibitum sit, officium notariatus exercere in causis temporalibus, seu

profanis, c. *Sicut te*. 8. § *Ne clerici vel monachi*, etc. Resp. enim cum Joan. Andrea ibid. n. 1. et aliis, istud esse quidem illicitum dictis clericis, non tamen reddi instrumentum invalidum, si secus attentetur: quia istud ibidem non statuitur, neque ejusmodi instrumentum a clerico factum declaratur invalidum, sed sola pœna privationis beneficii clerico imponitur; unde aliam invenire non debemus. « Nam interpretatione legum pœnæ sunt molliendæ potius quam exasperandæ, » ut dicitur l. *Interpretatione*. ff. de *Reg. jur.* cum concordantiis. Simulque multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem: c. *Ad apostolicam*. 16. de *Regularib.*

265. *Instrumenta confecta per notarium putativum, an valeant? Error communis jus tribuit, et quando.* — Quæritur III. An instrumenta confecta per notarium putativum, qui in veritate non est notarius, tamen communi opinione reputatur talis, sint valida? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est, quia « error communis jus tribuit: » prout habet vulgatum axioma, atque desumitur ex l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* ubi acta judicialia servi fugitivi, qui nesciebatur talis esse, atque in prætorem electus fuerat, propter communem errorem, atque publicam utilitatem valere censentur. Accedit, quia talis notarius est in quasi possessione officii notariatus: simulque nihil est, quod imputari possit parti ab ipso confectionem instrumenti postulanti, cum iste publice habeatur pro notario.

266. *Bonum est argumentum a teste ad notarium publicum, et e contra.* — Confirmatur: quia bonum est argumentum a teste ad tabellionem, seu notarium publicum, et e contra arg. l. *Domitius Labeo*. ff. de *Testament.* juncta Glossa fin. ibid. computante tabellionem in numero testium: et l. *Hac consultissima*. § fin. c. de *Testament.* ac notant doctores ibid. ut Jason d. l. *Barbarius*. n. 46. ff. de *Offic. prætor.* Atqui testis, qui revera est inhabilis, communi tamen opinione reputatur habilis, si adhibeatur in testamento, sufficit ad hujus validitatem, l. I. c. de *Testament.* et § *Sed cum aliquis*. Instit. eod. ubi servus communi opinione reputatus liber, potest in testamento esse testis; ergo idem dicendum de eo, qui communi opinione reputabatur tabellio, sicque confecit instrumentum. Verum his non obstantibus, affirmativa sententia nequit indistincte admitti, sed

eportet congruam adhibere distinctionem; unde:

267. *Si notarius ille putativus habet titulum coloratum sui officii, valent instrumenta ab eo confecta.* — Resp. I. Aut notarius ille putativus, et conficiens instrumenta, habet titulum coloratum sui officii (quia nimirum fuit constitutus a superiore, sed propter occultum defectum non potuit tale officium habere, vel istud denuo perdidit) et valent instrumenta ab eo confecta. Aut non habet titulum coloratum, eo quod nunquam fuerit creatus notarius per habentem potestatem, sed ipsemet sese ingresserit huic officio, et non valent ejusmodi instrumenta. Speculator eod. tit. de *Instrumentorum editione*. § *Restat. videre*. n. 32; Bartolus in d. l. *Barbarius*. § *Et per hoc puto*, ff. de *Offic. prætor.*; Abbas c. *Sicut te*. n. 21. *Ne clerici vel monachi*, etc.; Pirhing h. t. n. 13. *Zæsius tit. de Fide instrument.* ff. n. 4; Jason d. l. *Barbarius*, n. 48, ff. de *Offic. prætor.*, citans alios, atque hanc sententiam appellans veram et communem, et intrepide tenendam. Concordant dicta superioris tit. I. de *Judiciis*. § 8, n. 169 et seqq. ubi in simili resolvitur quæstio illa: « Utrum valeant gesta per judicem putativum? »

268. *Et hujus ratio.* — Prima pars patet ex cit. l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* quæ expresse loquitur de casu, in quo præcessit electio alicujus in prætorem, qui a parte rei quidem fuerit inhabilis (erat enim servus fugitivus) communi tamen hominum opinione reputabatur liber, atque ad exercendum illud officium habilis; sicque ob publicam reipublicæ utilitatem, et ne innoxii, qui coram ipso bona fide egerunt, damnum patiantur, sustinentur acta ipsius, ipso jure communi sic disponente: idem ergo dicendum de notario, habente titulum coloratum officii sui, ob paritatem rationis. Hoc ipsum suadent rationes dubitandi n. 263 et 266 relatæ, junctis eorum solutionibus, in quantum pugnant contra alteram partem conclusionis, proxime afferendis.

269. *Secus, si non habeat titulum coloratum, sed ipsemet se ingresserit officio notariatus.* — Secunda pars probatur ex eo, quia potestas creandi notarium est reservata supremo principi, in signum suæ supremæ potestatis, arg. c. *Cum. P. h. t.* et Auth. de *Tabellionibus*. collat. 4. Unde nemo est tabellio, nisi creetur a superiore. Bartolus, ubi supra: ideoque error privatorum istam potestatem eidem præbere non potest, l. *Privatorum*. c.

de Jurisdictione omn. judic. Nec urget textus in d. l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* Nam ibi præcessit deputatio Barbarii servi in prætorem facta ab eo, qui poterat cum ipso dispensare, ut loquitur textus; sicque habuit titulum saltem coloratum, ac proinde merito ob communem utilitatem sustinentur acta illius. Secus accidit in hoc casu, ubi quis nullum omnino habet titulum coloratum notariatus; sed semetipsum huic officio ingressus, nulla præcedente auctoritate superioris, vel titulo saltem colorato. Concordant dicta superioris cit. tit. I, § 8, n. 199. et 200.

270. *Confirmatur hoc ipsum exemplis.* — Confirmatur: quia similiter in aliis casibus gesta ab eo, qui nullum habuit titulum, non valent: ut cap. I. de *Reg. jur.* in 6. etc. *Ex frequentibus. de Institut.* ubi occupatio beneficiorum sine institutione canonica non valet, non obstante consuetudine contraria, seu errore communi. Similiter non valent gesta ab eo, qui communi opinione reputatur tutor, cum non sit, l. II. ff. de *eo, qui pro tutore*, etc. Accedit textus apertus in l. *Actuarios*. juncta Glossa fin. c. de *Numerariis. Actuariis*, etc. l. XII, ubi irrita censentur gesta ab actuario, et ipse faciens punitur, si non fuerit secundum consuetudinem antequam ordinatus.

271. *Solvuntur rationes dubitandi. Explicatur textus in l. Barbarius, ff. de Offic. prætor.* — Nec obstant rationes dubitandi n. 263. in contrarium allatæ. Non quidem textus in cit. l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.* quia ibi intervenit titulus coloratus: ac electio Barbarii servi in prætorem ut proxime dictum; secus in nostro casu, ubi supponitur, titulum coloratum abesse in notario, cum se ipsum officio tali ingresserit.

272. *Error communis nihil operatur, quando error est substantialis.* — Neque obstat communis error: quia quando actus peccat in sui forma, siye quando error est substantialis, tunc error communis nihil operatur. Sic autem fit in proposito, quia notariatus est officium publicum, nec potest exerceri, nisi quis privilegium habeat a supremo principe, aut cui is specialiter commiserit; cum sit de reservatis in signum supremæ potestatis. Porro possessio notariatus nihil etiam juvat, cum sit mere naturalis: simulque, qui sine creatione, ac superioris auctoritate se immiscet officio notariatus, potius censetur temerarius et violentus occupator, non autem possessor. Unde nec locum habere potest

præscriptio, quancumque tempore possessio illa continetur: « quia possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, » juxta reg. 2. juris in 6.

273. *Datur disparitas aliqua inter testem, et notarium publicum.* — Ad confirmationem negatur paritas inter notarium et testem, quantum ad propositum. Quia, ut quis sit testis, non requiritur auctoritas, seu specialis deputatio principis; sed generaliter omnes illi, quibus testimonium non reperitur interdictum, possunt esse testes. l. I. ff. de Testib. Secus dicendum in notario publico: unde patet magna disparitas, haud obstante, quod in aliis valeat argumentum a notario ad testem, et econtra.

274. *Valent instrumenta confecta per notarium qui ingressus est in quasi possessionem notariatus, sciente et patiente superiore, habente potestatem creandi notarios.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio quamdam limitationem, si videlicet quis ingressus fuisset in quasi possessionem notariatus sciente, et patiente superiore, habente potestatem creandi notarios, et fungeretur tali officio; nam tunc instrumenta per eum confecta, valerent. Ita Jason cit. l. Barbarius. n. 52. de Offic. prætor. post Anton. in cap. 1. de Fide instrument. Ratio est, quia postquam superior scivit, et tacuit, censetur tacite talem notarium confirmasse; unde constituitur is in quasi possessione officii notariatus, sicque valent gesta per ipsum: prout in simili de habente possessionem jurispatronatus, decernitur c. Consultationibus. 29. de Jurepatronat.

275. *Instrumenta confecta per notarium de crimine falsi condemnatum valent, si fuerint facta ante ejus condemnationem.* — Quæritur IX. An valeant instrumenta confecta per notarium, qui antea quidem legitime creatus, sed postmodum condemnatus fuit de falso in suo officio commisso? Resp. I. Valent instrumenta a tali notario ante ejus condemnationem facta quamvis hæc postea sequatur: sed instrumenta ab eo confecta post suam condemnationem, non valent. Ita Innocentius in c. Fraternalitatis. de Hæretic. et Abbas ibid. n. 3; Bartolus in l. Barbarius. § Quid de Notario. ff. de Offic. prætor.; Speculator tit. de Instrumentorum editione. § Restat videre. n. 35. et Joan. Andreas in Addit. ibid. vers. 1. fin. Pirhing h. t. n. 13. et alii. Prima pars sequitur ex dictis n. 268. quia ex quo talis notarius toleratur in officio, gesta ratione

publici officii propter publicam utilitatem non retractantur, licet postea sequatur depositio ipsius arg. l. Barbarius. ff. de Offic. prætor. et can. Infamis personas, 3. q. 7. § Verum tamen. Accedit quod sententia contra notarium lata, non debeat aliis nocere, l. Lucius Titius. in fin. De iis, qui notantur infam. cum similibus.

276. *Sed instrumenta ab eo confecta post suam condemnationem, non valent.* — Altera vero pars desumitur ex cit. c. Fraternalitatis. 4. de Hæretic. Quia, ex quo damnatus est auctor falsitatis, opera ejus, veluti falsarii, nequeunt amplius facere fidem: nam qualis est auctor, talia præsumuntur opera ejus. Textus et Glossa in casu cit. c. Fraternalitatis. Concordat reg. 8. juris in 6. « Semel malus, semper præsumitur esse malus, » saltem in eodem genere delicti, ut explicat Glossa ibid. Accedit, quod notarius de crimine falsi convictus, et condemnatus, hoc ipse removeatur a publico officio notariatus: unde locum habet, quod statuitur. l. Si aliquid c. de Susceptorib. lib. X. ubi Bartolus in Summario breviter sic ait: « Non potest qui exercere officium, in quo semel deliquit. »

277. *Instrumenta si habeant plura capitula, et in uno horum sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea notarius damnatur, probabilius reprobatur in totum.* — Resp. II. Instrumentum ante condemnationem notarii confectum, si habeat plura capitula, et in uno capitulo sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea notarius ille damnatur, et deponitur, probabilius reprobatur in totum. Ita Abbas cit. c. Fraternalitatis. n. 4. post Innocentium, ibid. de Hæretic. Bartolus l. Si ex falsis. § Adverte tamen. c. de Transaction. istud intelligens, quando falsitas provenit ex persona notarii, qui sua malitia, vel dolo, commisit falsum in uno ex substantialibus. Eandemque sententiam plures alii tenent apud Menochium de Præsumptionibus. lib. V. Præsumpt. 22. n. 3. cui etiam multum favet Speculator tit. de Instrumentorum editione. § Instrumentum ergo. n. 10. et 11. quamvis in contrarium alleget Tancredum, et quosdam alios, qui volunt, quod tunc reprobentur sola capitula connexa cum falso, non vero separata: quam contrariam sententiam etiam sequitur Menochius cit. præsumpt. 22. n. 32; Fachineus l. IX. Controvers. juris. cap. LXXIX. et probabilem censet Pirhing h. t. n. 52.

278. *Idque multipliciter probatur.* — Ratio

conclusionis est quia fides instrumenti publici pendet a fide et probitate notarii; ut inquit Menochius loc. cit. n. 4. allegans Glossam l. Si quis ex argentariis. § 1. ff. De edendo. Ergo, si falsitas instrumenti circa substantialia negotii procedit ex vitio notarii ob id condemnati, hoc ipso totum testimonium ipsius utpote falsarii reprobatur: nam fides notarii est quid individuum, atque ex ea pendet fides instrumentorum. Confirmatur, quia si testis aliquam falsitatem circa substantialia adjiciat suo testimonio, dictum ejus reprobatur in totum, utpote perjuri, can. Pura. 3. q. 9. ac notat Glossa c. In nostra. vers. Adversa. de Testib. Farinacius, de Testib. q. 67. numer. 178. allegans plurimos alios. Ergo a pari idem est dicendum de instrumento notarii: nam etiam hic est aliquis testis, l. Domitius. ff. de Testament. valetque argumentum a teste ad notarium, juxta dicta paulo superius n. 266. Concordant ea, quæ in simili dicta sunt l. I. tit. III. De Rescriptis. § 8. n. 175. et seqq. ubi ex professo, atque solutis contrariis, fusi ostensum est, quod subreptio, contingens in una parte rescripti diversas partes habentis, probabilius vitiet in totum, ergo ob paritatem rationis, idem dicendum est in proposito.

279. *Falsitas circa substantialia negotii, quæ? Summa, seu quantitas, pars est stipulationis, sicque est quid substantiale.* — Additur notanter in conclusione, « admixta falsitas circa substantialia negotii. » Qualis contingeret, si notarius falso scripsisset, contractum fuisse celebratum circa unam rem, v. g. equum, qui fuit factus circa aliam rem, v. g. vaccam; num error, seu falsitas circa substantiam rei, procul dubio est substantialis. Idemque fieret, si notarius scripsisset, Titium debere Caio viginti, cum scribendum fuisset decem: quia « summa, id est, quantitas, pars est stipulationis, » seu instrumenti, in quo continetur stipulatio; ac proinde est quid substantiale, l. I. § Editiones, juncta Glossa vers. Summa. ff. de Edendo. Unde commissa per notarium tali falsitate, merito corrumpitur totum instrumentum.

280. *Falsitas circa accidentalibus non vitiat instrumentum.* — Secus dicendum, quando falsitas contingit circa aliquod extrinsecum, et non substantiale: ut quia scripsit, contrahentes esse talis nationis, seu consanguineos, affines, aut quid aliud, quod non facit ad negotium. Etsi enim istud sit falsum, non

tamen ideo vitatur totum instrumentum: quia nihil facit ad contractum venditionis, permutationis, etc. undecumque sint contrahentes, vel an consanguinei existant, necne, arg. c. Cum deputati, 16. de judiciis. Innocentius, et Joan. Andreas c. Fraternalitatis. n. 1 et Abbas ibid. n. 4. de Hæretic. alique passim.

281. *Si testis deposuit falsum circa accidentalibus duntaxat, valet ejus testimonium quoad cætera.* — Simile quid contingit in testibus. Licet enim, si testis deponit falsum in substantialibus quod unam partem, dictum ejus reprobetur in totum: quia reperitur perjurus, can. Pura. 3. q. 9. et can. Si testes. 4. q. 3. § Qui falso, cum similibus. Secus tamen est dicendum, quando deposuit falsum circa accidentalibus duntaxat, seu circa circumstantias nequiquam facientes ad substantiam negotii, de quo agitur: adhuc enim valet ejus testimonium quoad cætera, cum nihil sit quod impediatur fidem ipsius. Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra. Farinacius de Testibus, quæst. 67. n. 179, allegans plurimos alios; atque subjungens, ita solere tenere Rotam.

§ X.

DE REPROBATIONE INSTRUMENTORUM PER TESTES.

282. *Probatio per testes, an sit validior probatione per instrumenta? Ponuntur rationes negativam tenendi.* — Quæritur I. Utrum probatio per testes validior sit probatione per instrumenta, atque hanc elidere valeat? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex l. In exercendis. c. de Fide instrument. ubi dicitur: « In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium: » Ubi proinde summarius sic habet, « Tantum valet instrumentum ad probandum, quantum depositiones testium, et econtra. » Accedit, quod instrumentum majori cum præmeditatione fiat, ac depositio testium: unde et facilius, certiorque est probatio per scripturam, quam per testes; eo præsertim, quod horum memoria sit labilis, ac subinde etiam mutabilis, l. Hac consultissima. § At cum humana. c. de Testament. Atque idcirco plures dantur casus, in quibus scriptura requiritur, et testes non sufficiunt; horum enim triginta quatuor enumerat Glossa in cap. 1. vers. In scriptis. de Censib. in 6. Verum his non obstantibus:

283. *Probatio per testes, simpliciter lo-*